

## CAPUT II.

### DE ELEVATIONE ORIGINALI INTELLIGENTIS NATURAE AD ORDINEM SUPERNATURALEM

#### ARTICULUS I.

##### DE ELEVATIONE NATURAE HUMANAE.



Quaestio nunc agitur facti, utrum homo ab origine auctus fuerit a Deo his donis, quae probavimus supernaturalia esse, aut praeternaturalia.

#### Thesis XLVIII.

*Testimonio Scripturarum et ecclesiasticae Traditionis certissime constat primum hominem auctum fuisse dono gratiae sanctificantis, seu divinae adoptionis.*

I. Status quaestionis est; an protoparentes donati fuerint ea rectitudine mentis et voluntatis, quae habitualis esset et ex se permanens, qua fieret homo iustus, sanctus, Deo acceptus, Deique filius adoptivus.

II. Iam vero Scripturae docent oeconomiam Christi ergo nos eo spectare ut originalis conditio, ea nempe in qua natura humana versabatur ante quodvis peccatum, nobis restituatur: atqui oeconomia Christi eo spectat ut conferat hominibus gratiam adoptionis: ergo haec fuit originalis conditio humanae naturae. Minor evidens est: cf. Ioan. I, 12; III, 5; Rom. VIII, 16. 17: 1. Cor. VI. 9-11; Gal. IV, 5. Maior hoc simplici argumento evidenter probatur. Christus est *Redemptor* totius humani generis: redemptio autem eius eo spectat ut redimat homines a servitute peccati, a servitute diaboli contracta per peccatum; ut liberet a morte, eaque morte quae est per peccatum; adserens homines in libertatem et vitam Coloss. I, 13. seqq. II, 14. 15; Hebr. II, 14. seqq. Ephes. II, 5; Ioan. X, 10; VIII. 34. seqq. 1. Ioan. III, 8. Ea autem servitus et mors per peccatum inducta omnibus communis exhibetur, omnes enim liberatus Christus venit, mundusque universus peccato subesse dicitur.

Ex his proinde patet quod ante peccatum in humano genere erat libertas et vita; ea autem erat libertas et vita, quae servituti et morti propter peccatum contractae opponitur. Ergo quoniam redemptoris opus eo pertinet ut quempiam asserat in aliquam libertatem et vitam: Christi redemptio eo proprie spectavit ut nos vindicaret in eam libertatem et vitam, qua ante peccatum fruebatur humana natura: ut scilicet restitueret eam conditionem, quae ante peccatum quodlibet competeat humano generi, quae proinde erat conditio originalis. « Dei et Salvatoris nostri (ait Basilus de Spiritu S. c. 45) circa hominem dispensatio est revocatio a lapsu reditusque ad Dei familiaritatem ab alienatione quam induxit inobedientia. Hanc ob causam Christus venit in carne... ut homo primitivam illam filiorum adoptionem recipiat. »

III. Probari rursus potest Thesis ex Scriptura his testimoniis. Ephes. IV. 17.; 22. seq. ait Apostolus: Hoc autem dico et testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut et gentes ambulavit in vanitate sensus sui... deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renovamini autem (*ἀναγενοσθε*) spiritu mentis vestrae; et induite (*ἐνδυσασθε*) novum hominem qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (cf. Coloss. III. q. seq.). In quo testimonio perpendatur 1) in quo posita sit novitas et vetustas, de quibus Paulus loquitur. Iam a versu 17 describit ipse characterem vitae gentilium, qui vitiiis omnibus continetur: versu 20 opponit ei characterem vitae christianae: versu 22 vocat *veterem hominem* quem versu 17. et seqq. descriperat: versu 23 hortatur ut deposito veteri homine renovetur spiritu induentes hominem novum, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate. Iam vero qui hominem sequentem desideria carnis, hominem vitiosum appellat *veterem*, significat hominem novum his vitiiis esse expeditum: qui ad hominem novum docet pertinere iustitiam et sanctitatem, significat hominem veterem ea carere, ac vetustatem peccato contineri. Haec est ergo ratio utriusque status; *novitatis* et *vetustatis*, *sanctitatis* et *peccatum*. 2) *Induere hominem novum* est induere vitam, mores, actus proprios hominis novi, h. e. exprimere in se vitam et mores et actus eius, seu se conformare vitae moribus et actibus eius. Sic enarratur ab ipso Paulo in testimoniis citatis, cum iubet deponere iram, etc. ac induere viscera misericordiae, etc. Confirmatur haec interpretatio phrası pene gemina quae occurrit Rom. XIII, 14. Induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Hinc et *exuere hominem veterem* est recedere a vita, moribus, actibus propriis hominis veteris. In phrası *induere homi-*

*nem novum*, exuere *hominem veterem*, termini complexi *homo novus*, *homo vetus* accipiendi sunt formaliter propter vim appellationis, ut significetur *novitas* et *vetustas*, adsignificetur autem subiectum cui eae insunt. 3) Apostolus autem discrete docet quodnam sit subiectum in quo proprie *novitas* ea existerit, inquit: *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis*: hic enim homo est Adamus, sive quod perinde est, homo qualis ab initio existit cum e manu creatoris processit. Sane a) ipse est, qui *secundum Deum creatus est*: respondet enim haec phrasid verbis Domini Gen. I, 26. faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: unde Coloss. loco parallelo dicitur *secundum imaginem eius qui creavit illum*. b) Status *novitatis*, a quo homines veterascendo recesserunt, et ad quem redire debent, fuit certe aliquando in humana natura; secus enim non *renovarentur*, sed simpliciter innovarentur: atqui Apostolus de *renovatione* data opera loquitur, *αὐνανοοῦσθαι* inquit, seu *ἀνακαινοῦσθαι* ut in loco parallelo ad Coloss. ait. Cuius verbi vim sensumque catholicum explicat Marius Mercator in libro Subnotationum in verba Iuliani c. 1. « Suspectus es frandis et doll', quod nusquam in toto opere tuo *renovationis* tibi visa est mentio facienda, sed *innovationis* tibi sermo semper venit in mentem. Nam certum est inter *innovationem* et *renovationem* plurimum interesse: *innovatum* enim intelligi potest quod nunquam fuit, et noviter existit: *renovatum* vero quod utique iam erat, in vetustatem pervenerat, quod si renovetur, dicitur renovatum... Divinae Scripturae... de *renovatione* creberrimus est sermo. Audi invitus Apostolum Paulum Ephes. IV, 22, 23; Tit. III, 5, 2. Cor. IV, 16. » Hinc Apostolus opponit invicem *hominem veterem* et *hominem novum*; *homo autem vetus* est homo veterascens, h. e. recedens per corruptionem a conditione suae originis, vel prioris status: atque is est qui renovari potest: unde Augustinus De Trinit. L. XIV, c. 17. advertit quod Deus « *renovari non potest, quia nec veterascere potest.* » Itaque qui *renovatur*, fuit aliquando *novus*, a qua *novitate* veterascendo recessit: sive in eo, qui renovari dicitur, duplex distinguendus est status, alter *novitatis*, qui praecessit, alter *vetustatis* qui successit. Liqueat autem quod ut homines renovari dicantur, non est necesse ut in singulis fuerit conditio propria *novitatis*; sed satis est si universum genus humanum in aliquo sui, a quo procedit, eam conditionem obtinuerit: cum enim omnes unam familiam constituent, status ille in quo primitus familia ratione sui capitis existit, ad omnes spectare merito censetur. Apostolus vero provocans eos, quos alloquitur ad *novitatem*, non eam *novitatem* respicit, quae in ipsis aliquando forte fuerit,

puta per sacramentum regenerationis, a qua propter peccatum exciderint; nam *vetustas*, de qua haec loquitur Paulus, est ille status peccati qui fidem et baptismum praecessit (cf. vv. 17. seqq. cum 22); quare et status *novitatis*, debet esse aliquid anterius eo statu peccati. Quia vero omnes homines naturaliter, h. e. a *nativitate*, sunt filii irae Ephes. II, 3, et omnes peccaverunt et egent gloria Dei, Rom. III, 23; hanc *novitatem* seu statum *novitatis*, de quo loquitur Paulus, in filiis Adami reperire non est. Ergo primus homo fuit *novus*, seu humanum genus ab origine fuit constitutum in *novitate*, h. e. *iustitia* et *sanctitate*.

Dices: homo *novus*, de quo loquitur Paulus, est ipse Christus, non Adam.

Respondeo 1) cohaerere per se cum verbis Pauli literalem eam interpretationem, quam nos dedimus; nam *factum* esse *secundum Deum* seu *ad imaginem Dei* proprie dicitur de homine: Christus autem est Deus, *imago consubstantialis Patris*. Praeterea conceptus *renovationis* sponte nos ducit in cogitationem illius status, qui *vetustatem* praecessit; ideoque et illius hominis, qui in eo statu fuit. 2) Etsi Christus ille *novus* esse homo dicatur, de quo haec loquitur Paulus, vis tamen argumenti non minuitur. Etenim semper verum erit homines *renovari*; restituantur ergo in pristinum statum, qui praecessit *vetustatem*, h. e. peccatum, et quodvis peccatum; restituantur nempe in statum illum in quo existit humanum genus ante peccatum, cum *novum* fuit; renovantur autem induentes Christum, h. e., *iustitiam* et *sanctitatem*, sic enim Christus induitur: ergo humanum genus ante quodvis peccatum, cum *novum* fuit, ideoque in Adamo, auctum erat gratia sanctificante.

Quaeres: cur Paulus hortetur fideles ad *renovationem*, cum *novitatem* hanc per baptismum regenerati censendi sint accepisse?

Respondeo: verba Apostoli in originali textu non sunt exhortativa, sed narrativa, nexa cum praecedentibus. v. 21. in *Christo edocti estis*, scilicet *deponere veterem hominem*, v. 22, ac *renovari spiritu induentes novum hominem*, quod quidem ad regenerationem obtentam in baptismo referendum est. Hortatur autem eos ut secundum hanc *novitatem* vivant v. 25. Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem etc. Ceterum renovatio huiusmodi maior et maior semper haberi potest; nec unquam in hac vita habebitur completa propter concupiscentiam, ceterosque defectus qui manent; nitendum est ergo semper ad perfectiorem gradum huius *renovationis*, iuxta illud eiusdem Pauli 2. Cor. IV, 16. Licet is, qui foris est, noster homo corruptatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Cum igitur scopus Pauli sit hortari fideles ad exercitium vir-

tatum, passionumque victoriam, hortatur eos ut contendant, quantum fieri potest, illum perfectum statim adipisci qui fuit proprius hominis novi, in quo caro perfecte subdebatur spiritui. Adverte Paulum loqui de renovatione *spiritus*; nam completa renovatio etiam secundum carnem per extinctionem concupiscentiae et donum immortalitatis in resurrectione instorum locum habebit.

IV. Praeterea I. Gen. 26. dicitur homo factus a Deo *ad imaginem et similitudinem Dei*. Atqui haec phrasid 1) potest significare collationem eorum donorum, quibus homo consors fit divinae naturae atque deificatur. Nam certe per haec dona homo fit Deo similis. Rursus eadem phrasid exprimitur ea similitudo, secundum quam Adam filios genuit Gen. V, 3. *Genuit Adam ad imaginem et similitudinem suam*, quae quidem est species perfectissimae similitudinis; est enim similitudo in natura univoca; porro, cum per ea dona supernaturalia existat quaedam perfecta similitudo licet analogia hominum cum divina natura, quippe qui consortes eius sunt, et deificantur, merito potest ea phrasid haec similitudo significari. Verum ne dum potest, sed reapse 2) significat ea phrasid collationem huiusmodi donorum supernaturalium. Qua in re adverte nos non dicere exclusive quod significantur solum dona supernaturalia, non autem ipsa natura rationalis, seu facultas intelligendi et volendi; sed dicere quod simul cum donis naturalibus, quae necessario supponi debent, significantur dona supernaturalia, sive quod significatur natura humana aucta donis supernaturalibus. Quod quidem probamus  $\alpha$ ) testificatione Pauli ad Ephesios IV, 24. quam iam enarravimus. Ibi enim Paulus dicit novum hominem h. e. Adamum creatum esse secundum Deum,  $\kappa\alpha\tau\alpha$   $\theta\epsilon\omicron\upsilon$ , scilicet ad imaginem et similitudinem Dei; praepositio enim  $\kappa\alpha\tau\alpha$  respondet hebraice  $\text{כּוּן}$ , quae similitudinem significat. Iam vero enarrans Paulus verba: *secundum Deum*, subdit: *in iustitia et sanctitate veritatis*; atqui *iustitia et sanctitas vera* in Scripturis dicitur illa, quae per gratiam obinetur, qua filii Dei nominamur et sumus, qua digni existimus aeternae hereditatis. Idem colligi potest ex testimonio ad Coloss. III, 10; iam enim effecimus hominem qui renovatur renovari per dona gratiae sanctificantis; atqui Paulus ibi docet eum renovari *secundum imaginem Dei qui creavit illum*; cum ergo Deus ad imaginem suam creavit hominem, gratia sanctificante eundem ornabit.

V. Tum probamus hanc interpretationem auctoritate Patrum. Plures enim et nobilissimi Patres consentiunt in hoc quod ea phrasid elevatio naturae ad participationem gratiae adoptionis significatur, quamvis differant in modo quo eandem phrasid *distinctus* enarrant. Sane quidam imaginem simul et similitudinem ad modum unius ac-

cipientes, gratiam sanctificantem interpretantur. Origenes hom. IV, in Levit. n. 3. « Videamus depositum quod quisque fidelium suscepit. Ego puto quod et ipsam animam et corpus depositum accipimus a Deo. Et vis videre aliud manus depositum quod accepisti a Deo? Ipsi animae tuae Deus imaginem et similitudinem suam commendavit. . . Si enim sis misericors, perfectus, pius, sanctus, et mundus, et omnia, quae in Deo praesto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, depositum apud te divinae imaginis salvum est. » Athanasius Orat. cont. Gent. n. 2. « Principio malitia non fuit. . . sed eam postea homines excogitare caeperunt. . . Nempe mundi opifex Deus hominem per proprium Verbum ac Salvatorem nostrum Iesum Christum ad propriam imaginem fecit. . . dans ipsi etiam propriae aeternitatis cogitationem, ut similitudinem ( $\tau\epsilon\upsilon\omicron\sigma\tau\eta\tau\alpha$ ) servans, nunquam cogitationem a Deo diverleret. . . sed habens donatoris gratiam, habens et propriam ex paterno Verbo vim infusam, exsulset et cum Deo conversetur, vivens securam ac vere beatam immortalis vitam. » Basilium serm. aesc. n. 1. (Oper. Tom. II. pag. 318. edit. Paris. Maurinorum) « Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est; sed per peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsus deformavit imaginis pulcritudinem. . . Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua exidimus per peccatum. . . imitantes divinae naturae ab affectibus vacuataem, et ita vitae divinae similitudinem adepti, et perpetuo in aeterna illa beatitudine mansuri. » Gelasius Cyzicenus in Act. Conc. Nic. I. II. in confutatione 4. hanc Patrum responsonem refert. « Illud ad imaginem, o philosopho, non ad corporum constitutionem, sed ad mentem relatum docet sermo veritatis. Deus, quum sit natura bonus, intelligenti hominis substantiae insculpsit illud ad imaginem et similitudinem, ut bonitatem, simplicitatem, candorem, puritatem, probitatem, felicitatem, et his similia: ut quae Deus est per naturam, eadem per ipsius gratiam habere possit homo. »

Quidam Patres *imaginem* tantum memorantes, eam ad gratiam referunt. Nyssenus De Beat. c. 3. « Huius boni, quod superat omnem vim comprehendendi, nos homines olim participes eramus; ac tantam erat in natura nostra bonum illud quod superat omnem cogitationem et intellectum, ut alterum illud esse humanum bonum videretur, exquisitissima et plenissima assimilatione atque imitatione ad imaginem primarii et originalis exemplaris formatum. Nam quae nunc de illo per coniecturas speculamur, haec omnia circa hominem quoque erant, incorruptibilitas simul et beatitudo, propria et a nullo alterius arbitrio pendens potestas, vita nullis negotiis implicata, nullis molestiis, nulli aegritudini obnoxia. . . quod ad imaginem caelestis

factum erat, in terra redactum est, cui regnum destinatum erat, in servitutum redactum est. » Ambrosius hexaem. L. VI. c. 7. « Illa anima a Deo pingitur, quae habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis. Illa anima bene picta est, in qua est splendor gloriae, et paternalis imago substantiae. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum. » Cyrillus Alex. Thes. L. I. « Non potuit homo ad imaginem esse creatoris, nisi Spiritum S. participaret. » August. de Spir. et lit. c. 27. « Hoc agit Spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instaret in nobis. »

Alii tandem Patres imaginem inter et similitudinem distinguunt ita, ut eam ad naturam, hanc ad gratiam referant. Methodius in Conv. Virginum in Marcellae orat. « Indigebat enim secundum imaginem Dei factus, quod secundum illius similitudinem erat accipere. Idque cum perficere et absolvere incommisisset Verbum in mundum, prius formam nostram suscepit. . . ut ob quas ipse nostram induit, divinam rursus capere possemus. » Arnobius junior seu Vigilus Tapsensis (cf. Cave Hist. Litter. sec. V.) in Confl. de Deo uno et trino: L. II. c. 27. « De homine dixisse Deum legitur: Faciamus etc.; et ideo hominem nobilissimam Dei fabricam non solum ex anima et corpore, sed et spiritu constare Apostolus probat dicens: ut integer spiritus vester et anima et caro in adventu Dei servetur. Sane spiritum dico, qui accidens est, non naturalem, nec eundem esse in omnibus. » Anastasius Sinaita. Anag. contempl. L. VI. « Id quidem, quod est ad imaginem Trinitatis, in essentia animae nostrae omnes homines habemus similitur; id autem quod est ad similitudinem ii soli habent, qui Deum habent in se inhabitantem, et gratia quodammodo sunt veluti Christi, in divinitate simul et humanitate. » Maximus Cent. III. De caritate n. 23. « Facta (creatura) dicitur ad Dei imaginem et similitudinem. Ac quidem ad imaginem, ut existens eius qui est, ut semper existens eius qui semper est. Ad similitudinem, tamquam bonus eius qui bonus est, et sapiens eius qui sapiens est, eius qui per naturam is qui per gratiam. Atque ad Dei imaginem est omnis natura rationalis, ad similitudinem solum qui boni et sapientes sunt. » Chrysost. hom. IX. in Genes. n. 3. « Sicut imaginem dixit ob imperii rationem (dominentur piscibus maris etc.) ita et similitudinem, ut pro viribus humanis similes flammis Deo, mansuetudine inquam lenitate et virtutis ratione Deo similes efficiantur, ut et Christus dicit. « Similes estote Patri vestro qui in caelis est. » Quae quidem interpretatio cum doctrina Eccli. XVII. 1. seqq. cohaeret.

Iam vero secunda interpretatio non differt realiter a prima; si enim imago et similitudo ad modum unius sumuntur, imago et si-

mililitudo erunt imago *similis*, ad *similitudinem exacta*, quod per solam vocem *imaginis* satis significatur. Tertia in eo differt a prima, quod illa velit per eam phrasim significari discrete id quod prior tantum adsignificari supponit, nempe facultates quoque rationales. Ad caput ergo rei quod spectat, omnes consentiunt. Cf. Gelasium Cyclic. ibid. respons. praeced. Ut autem omnis difficultas evanescat, advertendum est 1) *imaginem* hebraice esse צֶלֶם umbram, adumbrationem, lineamenta, simulacrum; *similitudinem* esse דְמוּתִימְ similitudinem, expressionem, figuram, simulacrum. 2) Gen. I. 26. ita construunt in textu hebraico בְּצַלְמֵנוּ בְּדְמוּתֵנוּ in imagine nostra secundum similitudinem nostram. Gen. autem I. 27. bis occurrit tantum ad *imagine* צֶלֶם: ita quoque Gen. IX. 6. Contra Gen. V. 1, solum occurrit vox similitudo דְמוּתִימְ. Sapiaentia porro II. 23. habet: Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad *imagine* (graece simpliciter: et *imagine*) *similitudinis suae* fecit illum כְּצַלְמוֹ כְּדְמוּתוֹ גְּזַלְמוֹ וְדְמוּתוֹ יְצָרָתוֹ אֱלֹהִים עָשָׂה אֱדָם. Eccles. XVII. 1. Deus creavit de terra hominem, et *secundum imaginem suam* creavit illum. Iacobus III. 9. de hominibus ait quod ad similitudinem Dei כַּצֶּלֶם וְכַדְמוּתוֹ יִשְׁאוּ הַעוֹלָמוֹת הַזֵּאתֵימָא. Ipse Paulus I. c. ad Coloss. solius imaginis mentionem facit. Tandem quod Gen. V. 3. vulgatus habet: genuit (Adam) ad imaginem et similitudinem suam, hebraicus textus legit: בְּצַלְמוֹ בְּדְמוּתוֹ בְּיִמְיָנוּ בְּשִׁמְלִימוֹ in similitudine sua secundum imaginem suam. Porro haec omnia suadent ea duo vocabula ita componi ut unam completam ideam exhibeant, quae *imago similis*, vel *similitudo expressa*, nimirum non salscumque effigies vel adumbratio: sed effigies perfectum quemdam gradum imitationis attingens.

Ad probationem Thesis facit quoque id quod in Eccli. VII. 30. legitur: solummodo hoc inventi quod fecerit Deus hominem *rectum*. יָשָׁר sensu morali acceptum significat in Scriptura rectitudinem illam, quae est secundum Deum, quae iustitia et sanctitate propria filiorum Dei continetur, cum creaturis intelligentibus tribuitur. Num. III. 40. Iob. I. 4. Psal. XI. 7. Prov. XIV. 2. Dent. XII. 25. Atque hoc sensu a Patribus in controversia pelagiana acceptum est: ergo. Cf. Kleutgen Theologiae p. I. Disp. IX. c. 7.

VI. Dices doceri nos ab Apostolo I. Cor. XV. 45-47. quod primus homo factus fuerit tantum in animam viventem; quod prius (nempe in Adamo) fuerit id quod est animale, deinde vero (scilicet in Christo) quod est spirituale; et quod primus homo Adam de terra, terrenus fuerit: secundus homo Christus de caelo, caelestis. Ergo Adamus caelestis vel spiritualis homo non fuit, sed terrenus: terreni autem notionem ita ipse Paulus explicat v. 50. ut sit vivere secundum carnem et sanguinem.

Respondeo. Dissertit heic Apostolus de resurrectione, eaque supernaturali, qua nempe dotes quasdam spirituales corpora nostra obtinebunt. *Seminatur* (ait. v. 44.) *corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est et spiritale.* Corpus animale est quod ab anima vivificatur secundum naturae leges, quae proinde anima corpus non regit prout ipsa est *spiritus*, sed prout est principium animalis vitae vegetativae et sensitivae, unde corpus manet obnoxium passionibus, indigens cibo et potu, eiusque vita terminum habet. Corpus spiritale est quod a spiritu prout spiritus est vivificatur, communicante spiritu ei dotes suas incorruptionis et immortalitatis, absque ulla indigentia cibi et potus, ac dependentia a legibus physicis: sive hanc vim spiritus ex se habeat, sive ex gratuito dono. Porro cum dixerit Paulus quod *si est corpus animale, est et spiritale*, id probat auctoritate: *sicut scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam (Christus) in spiritum vivificantem.* Prima quidem pars huius testimonii scripta est Gen. II, 7. altera vero pars ubi scripta? scilicet non quidem totidem verbis, sed secundum sententiam tibi scripta est, ubique Christi resurrectio ex virtute sua, et per spiritum Christi resurrectio immortalis hominum praenuntiata est. Iam vero ex his liquet quod citatio verborum Genesis non eo spectat, ut dicatur Adamus fuisse tantum animal vivens carens donis sanctificantibus, sed ut doceatur quod existerit prius *corpus animale* differens a corpore spiritali: quamvis enim Adamus auctus fuerit dono immortalitatis, ea tamen immortalitas eiusmodi erat, ut posset amitti, nec spirituales dotes corpus eius participabat, quemadmodum factum est in resurrectione Christi, et fiet per Christum in membris suis in resurrectione, qui propterea dicitur *spiritus vivificans*. Subdit Paulus v. 46. quod *non prius quod spiritale est; sed quod animale, deinde quod spiritale est;* idque declarat immediate sequentibus: *primus homo de terra, terrenus; secundus homo de caelo, caelestis.* Scilicet primus homo eo quod de terra factus est, secundum quod natura eius postulabat, ideoque ratione suae naturalis originis, terrenus fuit, corpus terrenum et animale habuit; habuitque proinde quod posset mori: Christus e contrario eo quod e caelo est, h. e. ratione suae originis et naturae prout Filius Dei est, est homo caelestis, caeleste corpus sive spiritale iure suo obtinens in resurrectione. Sicut ergo fuit prior Adam, quam Christus, ita prius animale est, quam spirituale. Praeterea cum Adam et Christus opponantur, ille principium naturae corruptae et peccatricis, iste principium naturae reparatae et sanctificatae, vere Adam homo est terrenus, qui spoliatus naturam gratuitis donis eam convertit ad ea quae sunt carnis et sanguinis; Christus e contrario vere cae-

lestis est, qui vitam spiritalem imperitur. Et quia prius nascimur filii Adae, quam regeneremur in Christo; hinc rursus prius animale, postea spirituale. Terrenus autem homo, prout hic est vitiatum et peccator, non fuit ab initio Adam; sed ratione suae naturae ab origine acceptae, habuit quod posset talis evadere; cum e contrario Christus eo quod e caelo, sit naturaliter sanctus, et fons sanctitatis. Cf. I. p. q. XCV, a. 1. ad 1<sup>m</sup>.

VII. Patrum doctrina, qua haec thesis vindicetur, certissima est. Praeter testimonia haecenus allata, haec rursus idem extra dubitationem ponunt. Nam I) thetica docent gratiam adoptionis collatam fuisse primo homini. Theodoretus Serm. 10. De Provid. « Tanta primi illius exemplaris circa suam imaginem prospicientia erat. Ab initio condidit, similitudine sua dignatus est. Ipsa vero ingrata erga factorem facta est, et divinam imaginem corrumpens, belluarum characteres assumpsit, et ex divina in ferinam ac belluinam mutata est. Sed opifex... innovavit eam... eosque in filios suos adoptavit, qui ne servire quidem digni erant. » Damascenus De Fide L. II, c. 30. « Hunc igitur hominem summus opifex condidit, divinam ei gratiam suam impertiens, seque per eam ipsi communicans. » Cyprianus Serm. 3. De bono patientiae. « Adam contra praeceptum caeleste cibi lethalis impatiens in mortem incidit, nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit. » Augustinus De Civ. Dei L. XIII, c. 43. « Mox ut praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati in sua membra oculos coniecerunt. »

2) Polemice contra Pelagianos Patres, inter quos potissimum Augustinus, tanquam dogma catholicum tuebantur dona quaedam gratuita Dei hominem primum perdidisse per peccatum, neque nunc nasci humanam naturam, qualis in Adamo constituta fuit; amissae vero id ad quod reparatur per Christum, nempe gratiam adoptionis. August. de Gen. ad lit. L. VI, c. 24. « Quomodo ergo, inquam, renovari dicimur, si non hoc recipimus (loquitur de immunitate a concupiscentia et a morte ac doloribus), quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritalis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. » Concil. Arausic. 2. Can. 1. « Si quis per offensam praevagationis Adae non totum, idest secundum corpus et animam, in deleris dicit hominem commutatum, sed animi libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturae. »

VIII. Doctrinam Verbo Dei scripto et tradito contentam Ecclesia suo authentico magisterio probavit, tum in eodem Conc. Araus. a

Sancta Sede confirmato, can. iam citato, et can. seq. 19. Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, creatore suo non adiuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit? Tum in Conc. Trident. Sess. V, Can. 1. « Si quis non conflitur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse... totumque Adam per illam praevagationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit. »

**Thesis XLIX.**

*Inter dona protoparentibus in ipsa creatione collata accenseri debet immunitas a concupiscentia tum habituali tum actuali, sive integritas naturae, eademque ab initio collata.*

I. Quid sit immunitas a concupiscentia habituali et actuali iam declaravimus in Th. XLIV. Per eam immunitatem *integra natura* dicitur. Haec tamen appellatio duplicem sensum per se habere potest. Primus est, ut ait Suarez Proleg. IV, De Gratia c. 2: « integritatem naturae nihil aliud esse nisi substantiam naturae cum omnibus facultatibus corporis et mentis, sine ulla diminutione vel in numero vel in perfectione intensiva illarum, neque in aliqua alia conditione, quae ex natura rei ex hominis essentia dimanet. » Nimirum natura integra dici potest quae habet omnia, quae exigit ut sit talis natura. Hic vero non est sensus qui intenditur a Theologis cum dicunt *naturam humanam integram*. Alter ergo est sensus, qui ita ab eodem Suarez ibidem exponitur, ut ille sit status naturae integrae, « in quo, ultra omnes facultates naturales, habeat homo quandam specialem perfectionem, quae consistit in carentia fomitis et effrenatae concupiscentiae, seu in perfecta subiectione appetitus sentientis ad rationalem, ita ut inferior appetitus contra superiorem moveri, aut rationem praeveneri non permittatur. Et hic status vocatur proprie integrae naturae, secundum Theologorum usum... Nam quia humana natura pure spectata quasi divisa est in suis naturalibus affectibus in diversa tendentibus, et quasi manca ad recte ambulandum in suis moribus, ideo quando in suis propriis facultatibus internam pacem et concordiam recipit, quasi *integrari* censetur, et ita perfici ut convenienter in moribus progredi possit. »

In hac integritate dicimus fuisse primum hominem creatum, h. e.

non tantum hoc donum fuisse ei collatum aliquando ante peccatum, sed collatum ab initio cum creatus fuit.

M. Sane Apostolus Rom. VI, et VII concupiscentiam habitualem appellat *peccatum*. Atqui appellatio huiusmodi facta a Paulo concupiscentiae habituali significat ipsam ab initio non exstitisse in humana natura: ergo. P. m. Etenim concupiscentia habitualis peccatum dicitur vel quia formaliter peccatum est, ut volunt haeretici, vel quia ex peccato est et ad peccatum inclinat, ut docet Tridentinum, vel tantum quia ad peccatum inclinat, quemadmodum posset etiam concipi in pura natura. Si primum dicis, praeterquamquod falsum hoc et haeticum est, ergo non fuit concupiscentia habitualis creata humanae naturae; Deus enim nequit esse auctor peccati. Si alterum dicis, ergo ea per praevagationem Adae exstitit in natura, ideoque ab initio non fuit. Si tertium dicitur, 1) haec interpretatio exclusiva, prout talis, est contra Tridentinum. 2) Imo est contra ipsum Apostolum, qui cum ait ibid. V, 12 peccatum per unum hominem intrasse in mundum, peccati nomine concupiscentiam quoque comprehendit, ut suo loco videbimus. 3) In hypothesi huius sensus exclusivi Apostolus non appellasset concupiscentiam habitualem peccatum. Etenim a rationis et Fidei analogia maxime abhorret *insignire nomine peccati* id quod a Deo immediate procedit, quem nullo modo deest repraesentare tanquam auctorem peccati, cum praesertim fide constet ipsum fecisse hominem rectum. Igitur appellatio peccati, quae concupiscentiae potest causaliter competere, non fit ei citra respectum ad veram culpam a qua processit, ut Tridentina Synodus declaravit. Ergo ea ratione loquendi satis significavit Apostolus concupiscentiam habitualement non exstitisse ab initio, sed a peccato primi hominis ortum habuisse: atque ideo ante peccatum erat immunitas a concupiscentia habituali: alterum enim esse debebat. Itaque restat probandum appellari a Paulo concupiscentiam habitualement *peccatum*.

Quod ergo Paulus vocet *peccatum* concupiscentiam habitualement, ita demonstratur. Loquitur certe Paulus de concupiscentia actuali: ait enim Rom. VII, 7. *peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*, respiciunt concupiscentiam actualement, et quidem proprie consensum voluntatis in motus concupiscentiae sensibilis, lex enim ad liberos fertur (1).

(1) Adverte Apostolum respicere legem mosaicam; praeceptum, ad quod provocat, ita se habere Exod. XX, 17, et Dent. V, 21. Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non Palmieri, De Deo Creatore et Elevante

Iam vero existit certe in nobis fons et radix permanens horum motuum concupiscentiae sensibilis, quae fons aut radix sive principium, dicitur fomes, seu concupiscentia habitualis. Cf. Iacobi I, 14. 15. Atqui hanc habitalem concupiscentiam seu fomitem Paulus appellat *peccatum*. Nam com. 8. ait *occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, actualem scilicet; et comm. 13. 16. 17: quod enim operor non intelligo, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem *quod nolo, illud facio*: consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem iam *non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Nimirum verba: *quod nolo, illud facio* significant motus illos qui in nobis existunt invita voluntate, ideoque non actus voluntatis liberae, sed motus concupiscentiae sensitivae; hos autem operari dicitur *quod habitat in nobis peccatum*: operatur vero ipsa concupiscentia habitualis; ergo haec a Paulo vocatur *peccatum*. Quod ergo est radix omnis actualis concupiscentiae, seu concupiscentia ha-

ancillam, non bovem, non asinum et universa quae illius sunt. Nominatum hac lege prohibentur quaedam determinata desideria mala. Nihilominus hac peccari lege liquet frenum inibi universim appetitui humano prohiberique consensum quemvis, quem voluntas praestare velit motibus quibusque inordinatis appetitus humani seu concupiscentiae. Atque certum est quoque haec a Paulo verba *non concupisces* accipi speciatim prout prohibent consensum in inordinatos motus appetitus sensitivi. Hic enim ille est qui sedem habet in carne et est concupiscentia habitualis, quae a Paulo dicitur *peccatum*: quin tamen excludantur alia desideria mala. Loquitur enim Paulus de concupiscentiis, quas prius dixerat esse corporis mortalis C. VII. v. 6. 12. de causa operante ea quae inviti patimur, quae causa *habitat in carne nostra*, de lege peccati, quae *est in membris nostris*, quae repugnat legi mentis, de eo per quod carnales sumus C. VII. vv. 7, 17, 18, 23, 24; quae omnia inordinatum appetitum sensitivum, eiusque motus designant.

Ad cuius rei pleniorum intelligentiam advertere rationem allatam a s. Thoma in hunc locum, cur Paulus provoeet ad praeceptum: *non concupisces*. — Potest dici quod Apostolus specialiter assumit concupiscentiam ad propositi manifestationem, quia vult ostendere quod sine lege peccatum non cognoscatur, in quantum scilicet pertinet ad offensam Dei, et hoc maxime patet in hoc quod lex Dei prohibet concupiscentiam, quae ab hominibus non prohibetur. Nam solus Deus hominem reum reputat propter concupiscentiam cordis.... Ideo autem lex Dei potius prohibuit concupiscentiam rei alienae, quae furto auferitur et uxoris alienae, quae per adulterium violatur, quam concupiscentiam aliorum peccatorum, quia ista peccata etiam in concupiscentia habent quamdam delectationem, quod non contingit de aliis peccatis.

habitualis peccatum dicitur, quod habitat in nobis, quo permanentia propria habitus significatur, dicitur *feri peccans* com. 13. h. e. sese explicans in actualia peccata accedente consensu voluntatis: dicitur com. 23. *lex peccati existens in membris, resistens legi interioris hominis, sibi hominem obnoxium reddens*, dicitur *vetus homo* c. VI, 6; quae omnia dispositionem habitalem subiecti designant.

Vides haec a Paulo concupiscentiam habitalem peccatum dici, quatenus lex est peccati, seducit et seductione occidit, com. 11: operatur id quod nolumus, comm. 17. 20. quod proinde occidit, cum ei libere consentimus; alqui hoc non est considerare peccatum *formaliter*, sed *causaliter*: videlicet appellat peccatum, quia ex ea peccatum est, nempe quia ad peccatum inclinat. Adsignificat vero etiam hac appellatione quod ipsa ex peccato sit, cum docuerit c. V, 12. peccatum occupasse omnes homines per praevariationem Adami. Istud porro peccatum quod c. V, dicitur intrasse in mundum, complectitur quoque in sua totali comprehensione etiam peccatum illud de quo sermo est c. VI. et VII; nam utrumque dicitur *ἡ ἁμαρτία*. Cui interpretationi consentit Thomas, qui in verba « occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, ait: melius est quod hoc (peccatum) referamus ad peccatum quod supra dixerat per unum hominem in mundum ingressum, scilicet ad peccatum originale; quod scilicet ante gratiam Christi est in homine secundum culpam et poenam, sed veniente gratia, transit reatu, et permanet actu quantum ad fomitem peccati, vel concupiscentiam habitalem, quae operatur in homine omnem concupiscentiam actualem, sive hoc referatur ad concupiscentias diversorum peccatorum, alia namque est concupiscentia furti, alia adulterii, et sic de aliis: sive referatur ad diversos concupiscentiae gradus, prout consistit in cogitatione, delectatione, consensu et opere. » De qua re in cap. seq.

Concupiscentiam habitalem vocari ab Apostolo peccatum docet Synodus Tridentina Sess. V, c. 5. quae fatetur manere in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, atque testatur eam aliquando ab Apostolo peccatum appellari. Cardinalis Toletus in Commentario in Epistolam ad Rom. ad hunc locum c. VII, 8. quaerens: quodnam sit hoc peccatum, quod dicitur operatum esse omnem concupiscentiam, quatuor recitat diversas opiniones interpretum. Prima est, quae peccatum interpretatur *diabolum*, qui auctor est peccati; secunda quae peccatum interpretatur *fomitem*, tertia peccatum interpretatur *socordiam* et *malum animum hominis*; quarta peccatum interpretatur *id quod lege prohibetur*, quod quidem auget concupiscentiam, dum lege prohibetur, quae enim prohibentur, eo magis appetuntur. Ve-

rum prima nullum fundamentum habet in verbis Pauli: imo repugnat verbis Pauli, qui de peccato hoc affirmat, ipsum habitare in carne nostra, esse legem membrorum nostrorum. Tertia revocari potest ad secundam prout socordia et malus animus effectus sunt concupiscentiae, vel modus. Quarta non cohaeret cum verbis Pauli qui, ut iam advertimus, peccatum vocat id quod habitans in carne nostra operatur id quod nolumus; quod secundum legem mentis odimus, quod proinde non actus aliquis, sed principium actuum est. Quod vero principium existit in nobis non huius aut alterius actus tantum, cui repugnat spiritus, sed indefinite et universim eorum malorum quae odimus et nolumus, tale enim exhibetur a Paulo iis verbis: *quod noto malum, hoc facio*; non est censendus esse alius actus aliquis malus; sed habitus a quo omnes actus procedunt, dicendus est. Cf. auctorem Hypognost. L. IV. qui inter alia hoc habet: « Videns peccatum, quod est, ut saepe dictum est, *concupiscentia, unde libido exorta est*, de legis auctoritate nihil me valere contra se, seduxit et.... occidit. » Porro tandem si habitualis concupiscentia, h. e. lex in membris, lex peccati, id quod operatur malum contra consensum rationis, scilicet inordinatio appetitus sensualis non erat ante praevocationem Adami, multo minus erat concupiscentia actualis, quae illum supponit, quaeque magis habet rationem peccati seu mali.

III. Gen. II, 25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius, et non erubescabant. Gen. III, 7. Et (admisso peccato) aperti sunt oculi amborum (allusio est ad verba serpentis: aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii scientes bonum et malum); cumque cognovissent se esse nudos, conseruerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Scilicet ante peccatum nullus pudor, post peccatum pudor, h. e. ante peccatum nullus motus inordinatus appetitus, post peccatum motus inordinatus appetitus. Ante peccatum ne dum deerat motus inordinatus, sed et fomes quoque, id enim significatur per verba: *non erubescabant*, collata cum sequentibus: et *aperti sunt oculi amborum* etc. quod propter peccatum accidisse docet Dens com. 11. Quis indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi ne comederes, comedisti? Itaque defectus erubescantiae privilegium erat ante peccatum; at nullum privilegium fuisset, imo defectus ille fuisset malus, si existente fomite defuisset tantum actus pudoris, qui naturaliter consequitur. Magna praeterea fuisset turpitudine moralis; ideoque iam peccatum ante peccatum primum existitisse dicendum esset, si existente fomite non erubissent de sua nuditate. Ergo ab initio primi parentes immunes erant a concupiscentia habituali.

IV. Hinc Augustinus in Iulian. L. IV, c. ultim. « Quid est, gustato cibo prohibito, nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia tegebatur? gratia quippe magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialium libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire debebat. » Et Civit. Dei L. XIV, c. 47. « Sicut scriptum est: nudi erant et non confundebantur, non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa praeter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. »

Ita quoque alii Patres. Chrys. in Gen. hom. 15. n. 4. « Erant ambo nudi, et non erubuerunt: peccato enim et praevocatione nondum praesente, gloria, quae superne venerat, vestiti erant. » Ambrosius De Paradiso c. 3. « Antea nudi erant, sed non sine virtutum integumentis... Ergo postquam se spoliatos illa simplicitate et sinceritate viderunt integrae incorruptaeque naturae, quaerere mundana et manufacta caeperunt, quibus nuda suae mentis operirent. » Theodor. in epist. ad Rom. c. 7. « Corpus mortale effectum, post praeepti transgressionem affectiones et animi perturbationes susceperit; per eas enim consistunt quae ad praesentem vitam pertinent. » Maximus Martyr. Cent. 5. Oeconomicorum: « Cum primus homo per gratiam affectionibus vacaret, imaginatione delectantium affectionum seduci non patiebatur. »

Haec est doctrina sancita a Conc. Trid. Sess. V. c. 5. « Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia *ex peccato est*, et *ad peccatum inclinat*. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. »

Ex his porro consequitur quod immunitas a concupiscentia nunquam ante peccatum defuit Adamo; ergo cum eo concreta est, q. e. d.



## Thesis L.

*Etsi nulla Ecclesiae definitione constitutum sit protoparentes in ipsa creatione sanctificantem gratiam a Deo accepisse, atque plures ex antiquis Scholasticis in negantem partem potius concesserint; tenendum tamen est Deum ad protoparentes quod attinet, uno eodemque tempore fuisse et naturae conditorem et gratiae largitorem.*

I. Ex Ecclesiae definitionibus si qua afferri potest, ea foret quam edidit Conc. Trid. Sess. V. c. 1. « Si quis non confiteatur primum hominem... sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse etc. » Verum, quoniam potuit constitui etiam post creationem, nequit ex his verbis colligi quod fuerit creatus Adam in gratia. Praeterea novimus ex Actis Concilii data opera usurpata esse a Patribus ea verba, ut quaestio scholastica in medio relinqueretur. Cf. Istoria del Conc. di Trento del Card. Pallavicino L. VII, c. 9. Reperitur quidem inter Canones Conc. Araus. 2. approbati a Bonifacio II. canon 49. ita se habens « natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret. » Verum Bonifacius sua epistola ad Caesarium probavit tantum doctrinam fidei iis canonibus contentam contra semipelagianos; de ceteris nihil decrevit. Nota canonem 49. esse unam ex iis sententiis Patrum et nominatim Prosperi, quos canonibus suis Patres Conc. Araus. additas voluerunt.

II. Carolus Du Plessis D'Argentré in Disput. De Gratia Angelis et Adamo concessa; testatur quod « per quadringentos annos, ab initio scilicet duodecimi saeculi ad finem quinti et decimi scholasticorum multitudo Angelos et Adamum gratia gratum faciens ornatos esse cum primo creati sunt, aperte negabant, non quidem asserendo, sed coniciendo. Contrariam enim opinionem aequè verisimilibus argumentis tum ex Scriptura, tum ex doctrina Sanctorum Patrum erutis niti confitebantur. » Censebant ergo hi Theologi Adamum primum in integritate naturae creatum esse, insuper auxilia gratiae actualis collata ei fuisse, quibus disponeretur ad recipiendam gratiam sanctificantem. Ratio eorum erat quia gratia gratum faciens non nisi praevia dispositione ex parte suscipientium, qui ratione utantur, secundum divinae leges sapientiae conceditur.

Atamen sententia affirmans, quam proponimus, certa est, eaque a fine saeculi decimi quinti paulatim communis inter Theologos evasit. Eam persuadent testimonia Scripturae. Etenim homo dicitur

creatus ad imaginem et similitudinem Dei etc. quod significat similitudinem cum Deo et rectitudinem quae per gratiam sanctificantem obtinetur. Idem confirmat auctoritas Patrum qui eas phrases ita interpretantur, ut vidimus.

Ratio s. Thomae q. XCIV. a. 4. huc redit: integritas naturae nexa fuit cum gratia sanctificante ex divina dispositione, velut effectus cum causa: patet quia amissa gratia, integritas quoque amissa est; at integritas collata fuit in ipsa creatione, ergo et gratia; a qua integritas pendebat, collata fuit in creatione.

Argumento autem sententiae oppositae respondet Molina in 1. p. q. LXII, a. 3; cum gratia esset donum naturae non personae communicandum posteris cum natura, nullam fuisse necessariam rationem cur primus homo per actus liberos deberet se disponere ad eius susceptionem.

Cetera argumenta, quae afferri solebant, eorumque solutiones vide penes s. Thomam l. c. quae clarissimae sunt. Adverte tamen solutionem tertii argumenti; posset enim forte alter responderi, ut nimirum Augustinus, cuius verba officiantur ex lib. de Corrept. et Grat. c. 10, per illud prius et deinde non distinxerit duos status in homine et in Angelis ante peccatum, sed illud prius retulerit ad statum hominis et Angelorum ante peccatum, illud deinde ad statum subsequentem, in quo beneficium gratiae ostensum est quoad homines, iustitiae vero indicium quoad Angelos.

## Thesis LI.

*Tenendum est protoparentes et specialim Adamum instructos quod fuisse scientia infusa, quae characteri proprio utriusque apte responderet.*

I. Constat ex Scriptura auctos fuisse ab ipso Deo protoparentes scientia, eaque praeclara. Sane Eccli. XVII, 1. seqq. haec habentur. Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum... Et dedit illi potestatem eorum, quae sunt super terram: posuit timorem illius super omnem carnem, et dominatus est bestiarum et volantium. Creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium et linguam et oculos et aures, et cor dedit illis excogitandi, et disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum; ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrant operum eius. Addidit

illis disciplinam, et legem vitae haereditavit illos. Testamentum aeternum constituit cum illis, et iustitiam et iudicia sua ostendit illis. Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, et honorem vocis audierunt aures eorum, et dixit illis: attendite ab omni iniquo (iniquitate), et mandavit illis unicuique de proximo suo.

Liquet haec describi inter alia, etiam donum scientiae eximiae collatae a Deo non tantum hominibus generatim, sed et specialim primis parentibus: sermo est enim de primo homine creato e terra, primaque muliere facta ex costa viri: scientiae quae non tantum in potentia haberetur, sed quae actu vel habitu obtineretur; id enim per se significant verba: disciplina intellectus replevit illos, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis; quomodo autem hoc donum largitus sit Deus primis hominibus dicemus mox.

Certa indicia huius scientiae prostant in Genesi. Sane Gen. II, 49. Deus adduxit cuncta animantia terrae, et volatilia caeli ad Adamum, ut videret quid vocaret ea, et nomen unicuique ex iis ab Adamo impositum, ipsum est nomen eius; h. e. nomen ei conveniens, eius naturam vel proprietates exprimens. Adamus ergo eam scientiam callebat, qua omnium animantium naturam, proprietatesque nosset, atque scientia huiusmodi praeclarissima est, quam nemo ex posteris eius adhuc integre est assecutus. Quod si hanc obtinuit scientiam, dubitari non licet ceteris quoque scientiis naturalibus instructum fuisse, praecipue vero illis, quae cum ea necessario necluntur.

Gen. II, 23. Adamus accipiens Evam traditam sibi a Deo in uxorem, indolem matrimonii perfecte cognoscit, quidque futurum sit in posterum videt. Atqui haec notitia quaedam distincta est iuris naturalis, quae plurimas alias supponit. Ergo et scientia iuris naturalis instructus erat Adam.

II. Iam vero scientiam, cuius specimen exhibetur in Genesi, Adamus obtinebat vix ac creatus est; ea enim utitur ante productionem mulieris: eam igitur non per experientiam acquisivit; ideoque per infusionem accepit. Pronum est ergo colligere quod et universam scientiam, de qua Ecclesiasticus loquitur, Adamus per infusionem accepit; eadem est enim ratio unius ac ceterarum scientiarum. Quod quidem et a Patribus declaratur. » Chrysostomus enim ait hom. XV. in Genes. « Obsecro, dilecte, vide hic quomodo cum ineffabili illa sapientia ei a Deo suppeditata, cuius nobis indicia demonstrata sunt per nominum impositionem, quae tot brutorum animantium generibus indidit, et prophetiam gratiam accipit... Ista vocabitur etc. Vides quomodo omnia nobis diligenter aperuit, et singula per prophetiam suam explanavit... Unde sciebat futura, quod

multiplicandum humanum genus, et quod hoc viri mulierisque congressu futurum erat, unde noscebat? congressus enim ille post procreationem fuit. » Cyrillus Alexandrinus in Ioan. I. I. c. 9. « Dei Verbum illuminat omnem hominem venientem in mundum, non docendo verbi gratia sicut Angeli vel homines, sed potius ut Deus, creando, unicuique rei in ortum eductae sapientiae divinae semen indit, et intelligentiae radium inserit, atque ita rationale animal efficit, naturae illud suae participem reddens, et ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores eius animo immittens, ea ratione ac modo quo ipse novit... quocirca auctor ille nostri generis Adam, non in tempore, sicut nos, sapientiam videtur esse consecutus, sed a primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia praeditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibatam in se ipso conservaret et integram naturae suae retineret dignitatem. »

III. Ratio S. Thomae petitur ex proprio caractere protoparentum; sic enim a Deo instituti sunt non solum ut ipsi existerent, sed etiam ut essent principium aliorum, humanae nempe familiae. Oportebat autem ut principium essent humanae familiae non solum per generationem, sed etiam per gubernationem et per instructionem; haec enim esset conditio naturalis humanae naturae, ut societatem homines constituant quae ab aliquo gubernetur, et ut per magisterium alterius homines erudiantur ut facile possint notitias necessarias sibi comparare. Quis autem rector et magister societatis humanae nisi parens ipsius? Ut vero hoc munere fungi posset uterque parens, et praesertim vir, cuius praecipue in hac re partes erant, oportuit ut eius intellectus non sibi permitteretur; sed ei cognitio communicaretur a Deo. Nimirum enim temporis insuendum fuisset, si per experientiam scientiae ab iis acquirendae fuissent, et nihilominus statim operam dare generationi eis licebat. Praeterea pluribus erroribus obnoxia fuisset eorum cognitio sibi permessa, qui quidem errores ab initio existentes et in capite totius humanae familiae perniciem pene irreparabilem intulissent. Oportuit ergo secundum suam ordinem divinae providentiae, ut res bene se haberent, communicari protoparentibus scientiam a Deo. Et quidem communicanda iis fuit scientia eorum quae humanae societati necessaria sunt, ut sit, et bene sit. Quia vero societas humana ad supernaturalem statum in primo homine evecta erat, oportebat et supernaturales notitias fidei indi ipsi a Deo.

IV. Scientia homini communicata est a Deo in ipso actu creationis. Id facile colligitur ex locis citatis. Quare scientia non potuit communicari homini per modum magisterii, quia institutio per mo-

dum magisterii aliquas ideas aliunde acquisitas supponit in mente discipuli. Necessè ergo fuit ut per modum infusionis scientia Adamo conferretur, infuso nempe habitu, vi cuius, determinatione ab extrinseco accepta ad actum, erumperet intellectus facillime in notitiam distinctam et adaequatam eius rei, ad quam per speciem sensibilem poterat manuduci. Habitus iste eiusdem rationis erat ac noster, quem per actus acquirimus, ideoque habitus scientiarum naturalium supernaturalis quidem fuit quod modum, at secundum se naturalis. Cf. quæ ad huius rei intelligentiam diximus in Instit. philos. Anthr. C. IV, a. IV, prop. 13.

### Thesis LII.

*Praeter haec, dono quoque immortalitatis aucti sunt protoparentes, quo a necessitate moriendi immunes mortui nunquam fuissent, si statutam divinitus conditionem sancte impleverint.*

I. Immortalitas vel necessario consequitur principia naturæ, et propria est spirituum, vel naturæ gratuito superadditur, et rursus duplex est; nam vel est inamissibilis, ut qui donum illud accepit non possit mori: vel est amissibilis, ut qui donum illud accepit, possit et debeat nunquam mori si alicui conditioni faciat satis, possit et debeat mori si non faciat satis. Hoc alterum autem fuit donum immortalitatis collatum protoparentibus. Id vero facile probatur. Etenim Sapient. II, 23. Deus creavit hominem inextimabilem (εἰ ἀθάνατος)... invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum. Ergo ex primitiva insinuatione Dei homo immortalis est conditus, mortalisque factus eo quod Diabolo morem gessit, seu peccavit. Gen. II, 16, 17. Præcepitque ei dicens: ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; quæ verba, auctore Hieronymo (Quæst. in Genes.), melius vertuntur a Symmaco: *eris mortalis*. Iam vero a) heic sermonem esse de morte corporali patet 1) ex ipsis notionibus vocabulorum, cum enim *mors* simpliciter dicitur, mors corporalis intelligitur. 2) Quia heic Deus poenam minatur, mors vero spiritualis non est per se poena. 3) Ex collatione Gen. III, 19., in quo illud a Deo infligitur, quod Deus fuerat comminatus: in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem revertaris; quibus verbis mortalitas proprie significatur. b) Mors infligitur ut poena, non quatenus sit anticipatio quaedam mortis, cui nihilominus tandem aliquando naturaliter fuisset homo obnoxius; sed quatenus naturæ, quæ nunquam moritura fuisset, mortalitas in-

fligitur. Lique 1) ex verbis comminationis: *in quocumque die* (eo die quo) comederis ex eo, *morte morieris*; hæc enim verba, si poena esset tantum anticipatio mortis, significarent tunc temporis moriturum actum Adamum, cum comedisset de ligno vetito: quod profecto non contigit; significant ergo mortalitatem seu debitum moriendi, quod eo die subiret; ergo poena est ipsum debitum moriendi. Chrysost. in Gen. hom. XVII. n. 9. « Quæstio hinc nascitur: dixit, inquit, Deus quocumque die comederis ex eo, morte moriemini. Multorum autem annorum numero liquet vixisse illos post inobedientiam... Licet multos annos vixerint, attamen a quo tempore audierunt: terra es, et in terram ibis, et sententiam mortis acceperunt, mortales fuerunt, et ex illo tempore fuerunt perinde ac si illos dicas mortuos fuisse ». Tum liquet 2) ex verbis sententiæ lætæ: *is enim certe continetur sententia illius poenæ mortis, quam Deus fuerat comminatus*. Iam vero *is* verbis non anticipatio mortis, sed ipsa mortalitas, h. e. debitum moriendi significatur. *Donec, inquit, revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem revertaris*: quæ est ratio petita ex naturali conditione hominis: sensusque est: in poenam peccati admittitur tibi donum gratuitum, sibi que natura permittitur, ex quo fit ut cum pulvis sit in pulverem revertatur. Hæc ratio autem valet quidem pro poena quæ sit debitum moriendi seu mortalitas, non vero pro aliqua poena mortis, quæ infligenda sit homini alioqui iam mortali. Igitur nisi peccasset, non fuisset mortuus Adamus; creatus ergo fuit in eo statu immortalitatis quem diximus.

Rom. V, 12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Mors ergo inducta est in omnes homines per peccatum; ideoque peccato non existente mors non fuisset, ergo homo non est conditus a Deo mortalis sed immortalis. Cf. 1. Cor. XV, 21. et Rom. VII, 18.

Sapient. I, 13. Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum, creavit enim ut essent omnia... impii autem manibus et verbis accersierunt illam. Mors nempe poenæ rationem habet, quem Deus voluntate tantum consequente peccati cognitionem voluit esse.

Hanc doctrinam contra Pelagium defendit catholica Ecclesia. Conc. Milevitanum, seu Carthaginiense c. 1. « Placuit ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, h. e. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit ». Cf. Conc. Arausic. II, c. 2. Cf. Mariom Mercatorum, qui testatur hæresim Pelagii fuisse: *primum hominem creatum fuisse mortalem*: in

Commonitorio Imperatori oblato super nomine Caelestii c. 1. Hinc Augustinus de Civit. Dei L. XIII, c. 13. communem fidem testatur his verbis: « Constat inter omnes Christianos veraciter catholicam tenentes fidem, etiam ipsam corporis mortem, non lege naturae, sed merito inflictam esse peccati ».

III. Nota ante exortam haeresim Pelagianam Patres nonnullos ita de morte homini inflictam loqui ut non unam rationem afferant, cur morti Adamum peccantem et universam eius progeniem subiecerit Deus; quas inter causas eam etiam memorant, qua videri possit in bonis ac beneficiis a Deo collatis censendam esse mortem. Ita Ambrosius De bono mortis c. 4. « Si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est, praevaricationis et fraudis sententia eum comprehenderit ut in terram suam terra remearet, invenimus mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret ». Basilius hom. *quod Deus non est auctor malorum* n. 7. « Neque vero (Deus) nos dissolvi prohibuit, ob eas, quas prius diximus causas, ut ne immortalis in nobis aegritudinem conservaret ». Methodius apud Photium c. 234. « Cum Deus omnipotens Adamum immortalem creasset, sciens eum ex insidiis diaboli malum factum... propterea illi pelliceas vestes concinnavit, quasi illum induens mortalitate, ut per corporis solutionem omne, quod in eo malum erat, moretetur ». Nazianz. Orat. 42. « Postquam diaboli invidia et mulieris insultu, accepti mandati oblitus, ab acerbo illo gustu victus est... atque hic quoque mortem ac peccati praecisionem lucratur, ne malum immortale sit ».

Verum perperam quis colligeret Patres eos non censuisse mortem esse poenam peccati, nam tum id disertè docent, tum, quando quidem hoc inter omnes conveniebat, rationes quoque afferbant quibus ostenderent, vel cur hanc poenam Deus elegerit, vel quomodo eandem poenam ita Deus temperaverit, ut in bonum quoque hominis cederet, divinaque providentiam magnificarent, quae poenam infixit, quae ad bonum ipsius hominis conduceret. Id liquet ex verbis quae immediate subdit Nazianzenus: « Ita poena ipsa in misericordiam cessit: ita enim Deum supplicia inferre censeo », et ex verbis Basilius quae praecedunt iam recitata « Quare peccavit quidem ob pravam voluntatem, sed mortuus est ob peccatum. Stipendia enim peccati mors. Quare Adamus secedendo a Deo mortem sibi conscivit ». Ita Chrisostomus non secus ac Nazianzenus, utrumque coniungit. hom. 26. in Genes. « Mortis supplicium Adamo Deus propter hoc intulit, ut ne posthac per inobedientiam peccato obnoxius effectus

perpetuo peccaret. Non videntur tibi haec esse maximae clementiae, eiici a paradiso, et poena hac puniri? »

Qui vero Patres docent Adam nec mortalem nec immortalem creatum, sed medium veluti, ut Theophilus ad Autolye. L. II, c. 24. illud docent quod nos defendimus. Nimirum fuit *non mortalis*, quia poterat non mori: *non immortalis*, quia poterat mori in hypothesi nempe peccati. Haec autem ea immortalitas est, quam nos asserimus.

Eandem doctrinam confirmavit Conc. Trid. Sess. V, c. 1. « Si quis non confletur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo *mortem*, quam antea illi *comminatus fuerat Deus*, et cum morte captivitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, h. e. diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: A. S.

IV. Itaque donum immortalitatis in eo certe positum erat ut nunquam homines mortui essent, quocumque spatio temporis in hoc stadio probationis et viae mansissent. Huius autem perennitatis ratio ontologica aderat sive intrinseca ipsi naturae, sive partim intrinseca partim extrinseca propter esum arboris vitae, ac speciale protectionem divinae providentiae arcantem ex stabili lege omnes causas vel omnia pericula mortis. Propter quam rationem vere dici poterat homines posse non mori, homines non esse mortales, sed immortales: ita ut non solum factum excluderetur, sed ipsa possibilitas proxima, propter constantem legem et constantia auxilia debita ex lege, suppeditata contra periculum mortis. Quare non in eo tantum posita fuisse videtur immortalitas, ut solum mors, quae is accidere posset, semper praecoccuparetur per translationem hominum ad aeternam vitam. Nam secundum hanc hypothesim hominum ad stadio probationis manentes mortui essent, si longius vita producta fuisset, atque in is fuisset idcirco dispositio vera et proxima ad mortem, quemadmodum est nunc post peccatum: istud vero non videtur admittendum; sic enim homo secundum corpus propter mortem, quam incurrit, non videtur proprie in deterius fuisse commutatum quemadmodum docent Tridentini Patres Sess. V, cap. 1. nam idem immutatum corpus manens morti foret obnoxium. Huius vero exclusionis proximae potestatis moriendi elementa indicabimus Th. seq. coll. Appendice post Caput III, q. IV.

**Thesis LIII.**

*Haec omnia cumularit Deus singulari felicitate, qua protoparentes impassibiles fuerint, liberi nempe ab aerumnis et doloribus omnibus.*

I. Sicut duplex distinguitur passio, ita duplex impassibilitas distinguenda est secundum s. Thomam. Nam 1) dicitur quod a sua naturali dispositione removetur. 2) Passio dicitur communiter secundum quaecumque mutationem, etiamsi pertineat ad perfectionem naturae, ut intelligere et sentire. Itaque hoc secundo modo passibilis erat homo ante peccatum. « Primo autem modo erat impassibilis et secundum animam et secundum corpus, sicut et immortalis. Poterat enim passionem prohibere, sicut et mortem, si absque peccato perstitisset ». Haec impassibilitas redit ad immunitatem ab aerumnis, et doloribus. Scripturae collatae cum interpretatione PP. eam persnadent concessam fuisse Adamo.

II. Sane constat id ex pluribus tum indicis tum argumentis: 1) ex Gen. II, 8. 15. ex loco scilicet voluptatis, in quo collocati sunt protoparentes (cf. Petavium De Opificio sex dierum L. II, c. 5.) Tum 2) ex exquisita bonorum copia illis tributa, ac dominio super omnes bestias, imo in omnia quae sunt super terram. Gen. II, 8. 9. 17; I, 26. Ecclesi. XVII, 3. 3) Ex immunitate a certis laboribus et doloribus: nam his subiectus fuit propter culpam Gen. III, 16. 17. 18. 19; ergo immunis ab illis fuerat homo creatus. At non poterat esse ab iis immunis, nisi et a pluribus aliis esset. 4) Ex immortalitate, qua fruebatur; consequens enim erat ut neque iis obnoxius esset, quae mortem praeventunt et ad eam disponunt. Si autem removeas omnes dolores et aerumnas, quae ex concupiscentia oriuntur, et quae ad mortem viam sternere possunt, vel ad infirmitates, vix nullus reliquus erit dolor, nulla aerumna. Huius autem rei praeterea certiores nos faciunt Patres. August. De Civ. Dei L. XIV, c. 10. « Quid timere vel dolere poterant homines illi in tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo, nec aberat quidquam, quod bona voluntas concupisceret, nec inerat quod carnem animaeve hominis feliciter viventis offenderet ». Et c. 26. « Vivebat homo in paradiso sicut volebat, quamdiu volebat quod Deus iusserat... vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate... Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ulla molestias ullis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus icus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in

anima tota tranquillitas... Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum... Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum ». Chrysost. in Gen. h. XVI. « Oportebat (virum) non fieri praevagationis (mulieris scilicet) participem, neque ob minimas voluptates tantis se ipsum privare bonis, et offendere benefactorem, qui illum tanta liberalitate amplexus est, vitamque doloris et laboris omnis expertem concessit ». Iulianus Pomerius de vita contempl. L. I, c. 18. « Quis sufficienter enumeret quae et quanta bona homini abstinentiae contemptus ademerit? Non inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum. Habebat tranquillum motum, cor mundum, ignarus poenalis mali, expertis peccati. Quid eo felicis, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, et liber animus? »

**Thesis LIV.**

*Quamvis immunitas triplex a concupiscentia, a morte, ab aerumnis, non sit ex natura sua necessario nexa cum gratia sanctificante, neque haec cum illa; tamen ex institutione Creatoris ita gratia sanctificans in creatione collata et ea triplex immunitas vinciebantur, ut haec triplex immunitas a gratia sanctificante penderet, atque cum ea cohaereret.*

I. Sane ea non sunt ex natura sua necessario connexa, quorum essentiae ita se habent, ut propriis notis constent, nec altera sit essentiae alterius elementum, aut terminus eius essentialis. Atqui ita se habent gratia sanctificans, et triplex immunitas, si invicem comparentur. Nam alia est omnino ratio gratiae sanctificantis, alia ratio cuiusque immunitatis; diversus est ordo gratiae sanctificantis ab eo ordine in quo immunitas reperitur; is enim est supernaturalis simpliciter, hic tantum praeternaturalis: et tum gratia, tum immunitas quaevis quoad omnes suas notas spectatae non dicunt aliquid relativum ad alteram, sed aliquid absolutum. Et re quidem vera gratia sanctificans potest esse separata ab immunitate mortis et dolorum, ut fuit in Christo et Beata Virgine; separata a quavis immunitate, ut in omnibus iustis est, in quibus teste Paulo, Rom. V, 16. 20. gratia superabundat. Item sententiam eorum Theologorum qui dicunt Adamum creatum quidem cum integritate naturae ceterisque bonis praeternaturalibus, non autem cum gratia sanctificante, nemo est qui reprehenderit ex eo capite quod seunxerint dona haec praeternaturalia a gratia sanctificante. Ergo.

Verum ex divina institutione nexus ille inter haec dona exstitit,

quem proponimus in thesi. Id ex eo evincitur quod patrato peccato, ideoque amissa gratia, etiam ea triplex immunitas sit amissa. Factum hoc constat ex dictis in his praecedentibus thesibus. Patrato enim peccato, successit rebellio carnis. Gen. III, 7; mortalitas III, 19. passibilitas III, 16. seq. Nexus ergo aderat inter haec dona, isque nexus, ut conservatio immunitatis penderet a conservazione gratiae. Quod satis significatur per hoc quod mortem comminatus sit Deus in poenam peccati, quod in eiusdem poenam subiecerit hominem doloribus et laboribus, quod in poenam peccati eiecerit eum a Paradiso, quod tandem dixerit Deus eos agnovisse se esse nudos qui comederant de ligno vetito. Si autem haec dona in poenam peccati sunt homini ablata, ergo eorum conservatio ab observatione legis et conservazione gratiae pendeat, ut manente gratia manerent cetera dona, ea amissa et ipsa quoque amitterentur. Cum vero hic nexus non sit ex rerum naturis, restat, ut ex libera institutione Dei constitutus fuerit. Porro gratia, quaecum cetera dona nexa erant, erat gratia in creatione collata. Scilicet non vixit Dens dona cetera cum gratia simpliciter ita, ut ubi gratia esset, essent et ea dona, sed vixit cum gratia primitus data, eaque libere per praeepti observantiam conservata; quam semel amissam, etsi deinceps recuperatam, non esset tamen necesse ut ea dona rursus comitarentur ipsam.

Sententia PP. hac in re leuculenter satis se prodit in iis omnibus quae ex ipsis attulimus in praecedentibus thesibus, ut consideranti patere potest; quare opus non est alia insuper addere.

### Thesis LV.

*Collatis iis quae de supernaturali et praeternaturali praestitimus in superioribus Thesibus, manifestum est per haec dona primum hominem ad ordinem supernaturalem erectum fuisse, quod quidem rursus praeclara quadam doctrina Patrum confirmatur.*

I. Etenim effecimus gratiam sanctificantem, per quam filii Dei nominamur et sumus, per quam ad visionem Dei beatificam destinamur, esse donum simpliciter cuivis naturae creatae supernaturale; cetera dona, immunitatem a concupiscentia, a mortalitate, ab aernis esse praeternaturalia etiam creaturae innocuae; atqui haec dona sunt, quae Adamus in creatione accepit: ergo.

II. Praeterea frequens est et commune Patribus considerare bona ab origine accepta tanquam vestem, qua natura a Deo ornatur, vestem lucis et splendoris, vestem quae a Deo gratuito confertur,

vestem, qua exui potest homo, incolui manente natura. Atqui quod sub hac figura repraesentatur, exhibetur ut aliquid naturae excellentius, superadditum ipsi, indebitum, et idcirco ut donum supernaturale. Ergo P. M. testimoniis Patrum. Ambrosius in Luc. L. VII. in parabolam hominis descendentis in ferico. « Haec simplicis historia veritatis est, quae, si altius consideretur, admiranda signat mysteria. ferico enim figura istius mundi est, in quam de paradiso, h. e. Ierusalem illa caelesti eiectus Adam, praevagationis prolapsione descendit... Longe enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur; ubi in secularia peccata deflexit, incidit in latrones... Qui sunt isti latrones nisi angeli noctis atque tenebrarum?... Ii ante despoliant quae accepimus indumenta gratiae spiritalis, et sic vulnera inferre consueverunt... Cave ergo ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati caelestis custodia destitutus, et exutus fidei vestimento, et sic lethale vulnus accepit ». Chrysost. hom. XVI. in Gen. n. 3. « Nudati propter peccatum supernae gratiae amictu, sensibilibus suae nuditatis sensum acceperunt... Qui antea fruebantur tanta fiducia, et neque sibi concilii erant se esse nudos, nec nudi erant, quandoquidem superna illos gloria quoque vestimento honestius tegebat: post eum h. e. post praevagationem praeeptorum in tantam vilitatem redacti sunt, ut ob intolerabilem pudorem vestem tunc quaererent ». Cyrill. Alex. in Ioan. L. I, c. 9. « Participazione luminis splendet supra naturam suam, glorificantis Dei gratia, et variis donorum ornamentis coronantis ascendens... Misericors enim Dominus est, qui creaturam parvam atque abiectam secundum naturam, magnam atque mirabilem sua effecit bonitate; qui etiam nos bonis abunde et cumulatum suis decoravit, adeo ut etiam deos et lumen nominet: » et c. 14. « Humilitatem naturae suae deposnerunt, et honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura ad supernaturalem dignitatem ascendunt ». Augustinus L. IV. cont. Iulian. c. ult. « Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum quod gratia contegebat... Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus sensit quod operire deberet ». Maximus Taurinensis hom. 85. de Div. « Et Sancti Angeli in splendidissimo habitu constituti nunquid tunicis operiuntur et palliis? Sed cum sit in illis nativitatis suae nuda substantia, vestiti videntur esse quod sancti sint. Sic igitur et Adam custodienti honestatis angelicae dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus ». Irenaeus L. III, c. 37. ita Adamum loquentem inducit: « quoniam eam quam habui a Spiritu Sanctitatis stolam amisi per inobedientiam ». Damascenus L. II, v. 11. « Corpore siquidem (Adam) in divinisissima et pulcherrima Palmieri, De Deo Creato et Elevato 28

regione habitabat: animo autem in sublimiori, omnique comparatione praestantiore et pulchriore loco versabatur, hospitem suum Deum habens pro domo, imo et pro illustri vestimento, cuius gratia circumvestiretur, et cuius contemplatione fruere et pascere. Bernardus serm. 1. De Annunt. B. M. « Videre mihi videor quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso suo creationis exordio, et, ut propheta meminit, vestimento salutis indutum. Est enim in his quatuor illa salutis integritas.... Quid huic deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, parovebat? sed heu homo iste ad multam perniciem et insipientiam sibi descendit ab Ierusalem in Ierico. Siquidem incidit in latrones, a quibus et ante omnia legitur despoliatus. An non despoliatus, qui domino veniente nudum se esse conqueritur. Nec vero poterat reverti, vel oblata recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. An forte quaeris et tunicam inconsutilem, quae non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quae nimirum non assuta, sed insita atque ipsi impressa naturae dividi scindique non potest. Ad imaginem nempe et similitudinem Dei factus est homo, in imagine arbitrii libertatem, virtutem habens in similitudine. Et similitudo quidem perit: verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri potest non exuri, ardere, sed non deleri. Haec ergo non scinditur, sed sorte provenit ». August. qq. super Evang. L. II. q. 49. « Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Ierico: ipse Adam intelligitur in genere humano... Et incidit in latrones, diabolum et angelos eius, qui eum spoliaverunt immortalitate, et plagis impositis, peccata suadendo, reliquerunt semivivum ».

Prob. minor. Sane quamvis per metaphoram vestis, ornatus, splendoris et lucis significari possit pulchritudo aliqua naturalis; nihilominus vestis, quae a Deo traditur, qua Deum ipsum induimus, qua ad supernaturalem gloriam evehimur, qua deificamur, quam amittere possumus, integro manente eo quod est insitum nobis; neque representare nisi illud donum quod reapse sit gratuitum et supernaturale.

**Thesis LVI.**

*Haec autem dona non fuisse primo homini naturalia ideo quoque contra Lutherum et Baium evincitur, quod ab universa natura amissa sint.*

1. Haec habet Lutherus in comm. ad caput 3. Genesis: « Statuimus iustitiam non fuisse quoddam donum quod ab extra accederet, separatim a natura hominis, sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo quam naturale est quod oculi lumen recipiant... Porro haec probant originalem iustitiam esse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant ». Mathias Illyricus in libello de peccato originis, cohaerens doctrinae magistri sui, docet peccatum originale esse substantiam, quae a diabolo facta est, quae est viva et essentialis imago diaboli; substantiam istam esse animam rationalem, quae tota corrupta est substantialiter, et ex imagine Dei transformata est in imaginem diaboli. Cum quo doctrinae capite illud connectitur: dona ea, per quae imago Dei in homine constituitur, ita naturalia esse ut cum substantia ipsa animae sint identificata, eique essentialia. Id profecto non docuit Baius. Nam libro de prima hominis iustitia c. II. haec habet « Sed praedictis obicitur: naturalis qualitas dicitur, quae ex naturae principis oritur: sed nemo dixerit Adae iustitiam, quae tantae excellentiae fuit, ut eum divinae naturae consortem faceret, ex anima eius et corpore naturaliter tanquam ex efficiente causa exortam... Responsio: naturale non causae aut originis sui comparatione dicitur, sed rei cui sic inest, ut ad naturalem eius integritatem pertineat, sitque eius absentia malum, sive ex eius principis tanquam efficientibus causis oriatur, sive aliunde accedat... Quapropter sive ex naturae principis orta fuerit primi hominis iustitia, sive a Deo immediate illi collata, adhuc tamen illi naturalis fuit, quia sic ad eius integritatem pertinebat, ut sine ea non posset salva consistere, miseriaque carere ». Iam vero primum contra Lutherum disputamus.

Porro absurdam esse sententiam Lutheri constat 1) doctrinam Patrum, quam attulimus Thesis XXX. naturalia nempe amitti non posse per peccatum, quam doctrinam amplectitur S. Thomas 1. p. q. XCV. a. 1. et universa Schola cum ipso. Quae doctrina certe accipienda est de iis naturalibus, quae a natura exiguntur ut sit talis natura, et quibus ablatis, ipsa natura consistere nequit. 2) Constat evidenti

ratione. Nam evidens est essentialis rerum esse immutabiles, ideo deductis essentialibus notis, vel una, fieri nequit ut eadem natura maneat; evidens vero est Adamum fuisse hominem, et nos homines esse non secus ac ille fuerit, qui ab eo generatione procedimus: certum autem est Adamum amisisse ea dona, nobisque naturam communicari destitutum iis donis, evidens ergo est ea dona ad essentialiam naturae non spectare, sive non esse naturalia eo sensu quo volebat Lutherus.

II. Nunc ad Baium. Elsi dona haec Baius non dicat naturalia quatenus elementa sint constituenta naturae, sed quatenus a natura exiguntur; id tamen falsum rursus demonstratur ex eorundem donorum amissione. Nam naturalia bona amitti quidem possunt per peccatum, sed ab eo qui propria voluntate actualiter peccat. At dona haec amissa sunt ab universo humano genere per peccatum actuale unius, ergo non naturalia sunt, sed supernaturalia. Cf. Th. LXXXVIII.

### Thesis LVII.

*Status iste, in quo Adamus conditus fuit, merito appellatur status iustitiae originalis.*

I. Constat per formulam hanc: *originalis iustitia vel originalis innocentia* (quas, iuxta usitatum horum verborum significationem, perinde esse dicit Suarez Proleg. IV. De Grat. c. 3.) non semper eandem prorsus rem intellectam fuisse a Theologis. Sane Caietanus in 1. p. q. XCV. a. 1. alique iustitiam originalem vocant rectitudinem humanae naturae, per quam inferiores vires rationi, et animae corpus subdebatur, citra gratiam. Unde Molina in 1. p. De Opere sex dierum. Disp. XXVIII, concl. 6. « Licet ex sententia Divi Thomae et veritate, originalis iustitia ea omnia, quae conclusione prima diximus, complectatur, quia tamen contrarium asseverant multi, saepeque D. Thomas eam sententiam probabilem esse censet; effectum est ut nomine iustitiae in communi usu loquentium solum intelligatur donum illud quod partem sentientem compescerat, hominemque promptum ac habitum reddebat ad ductum rationis sequendum, servandamque integram naturae legem, finemque proinde naturalem assequendum. » Starez in Proleg. cit. De Gratia c. 5. n. 4. distinguit iustitiam originalem a gratia gratum faciente tanquam a fundamento; et iustitiae originali vindicat c. 3. praeter integritatem naturae, has praerogativas, nempe immunitatem ab errore, immunitatem a peccato veniali, et incompatibilitatem cum mortali, immortalitatem, carentiam doloris et tristitiae. Nempè per iustitiam sive in-

nocentiam vult intelligi « non solum carentium culpa praeteritae vel praesentis, sed etiam futurae, quantum est ex vi status, qui sub tali conditione et perfectione consideratur ut sit aptissimus ad innocentiam servandam, et secum nullam culpam compatitur. » Advertit vero c. 5, n. 6. quod « duobus modis potest accipi *originalis iustitia*. Primo ut includebat totam rectitudinem hominis, et in se quoad omnes potentias et partes suas, et in ordine ad Deum ut finem ultimum cuiuscumque ordinis: et hoc modo sine dubio iustitia includebat gratiam tanquam basim et radicem omnium illorum bonorum. Alio vero modo sumi potest *iustitia originalis* praecise pro illa integritate seu perfectione, quam addebat ultra gratiam; et sic clarum est non includere illam formaliter, sed fundari in illa ex ordinatione divina potius quam ex natura rei. »

II. S. Thomas 1. c. docet gratiam gratum facientem simul fuisse collatam cum integritate naturae, eiusque radicem fuisse vel causam, atque idcirco gratiam spectare ad rectitudinem primi status, in qua Deus hominem fecit: « Erat enim haec rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. » Subiectio autem, ait. « quae ratio subdebatur Deo erat... secundum supernaturale donum gratiae. » Consentit Durandus in 2. D. IV. q. 2. qui ait certo sciri non posse an homo creatus fuerit in gratia: verisimilior autem ipsi est sententia affirmans, quia « secundum sanctos primus homo creatus fuit cum iustitia originali, sed iustitia originalis non videtur fuisse sine gratia concomitante; quum non potuerit amitti nisi per culpam: » quae est ratio s. Thomae. De Valentia in 1. p. D. VII, q. 2. p. 2. vult sententiam esse s. Thomae in a. 1. q. cit. quod non re sed ratione tantum iustitia originalis et gratia gratum faciens distinguerentur in primo homine. Idem porro s. Thomas in 2. D. XXX, q. 1. a. 3. distincto eo, quod est formale, ab eo quod est materiale in peccato originali, ait quod « destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturae, est materiale in peccato originali. » Materiale vero vel quasi materiale peccati originalis vult esse concupiscentiam. Quapropter iustitiae originalis nomine intelligit haec s. Thomas gratiam habitalem, in cuius privatione peccatum originale consistit.

III. Haec in re ita disserit Bellarminus De Gratia primi hominis c. 3. « Non desunt quidem Theologi, qui *iustitiam originalem* primo parenti in creatione concessam separant a gratia gratum faciente, ac doceant accipere Adamum initio habitum quemdam, qui partem inferiorem superiori subiaceret: non tamen accipisse gratiam illam gratum facientem, quae filios et amicos Dei efficit, quaeque ad vitam aeternam promerendam necessaria est... Nos Albertum Magnum



n. 2. D. XXIV. et s. Thomam in p. q. XCV. a. 1. et alios sequimur, qui iustitiam originalem cum gratia gratum faciente ita coniungunt, ut obedientia partis inferioris ad superiorem, a gratia gratum faciente, quae partem superiorem Deo obsequentem reddebat, veluti a fonte et radice dependeat. Sive autem gratia gratum faciens dicenda sit pars originalis iustitiae, sive tantum radix et causa, non multum ferre videtur. »

IV. Ex his satis liquet non esse definitum penes omnes Theologos quid nomine iustitiae originalis significetur, quid non significetur, ideoque de ratione ipsa et definitione originalis iustitiae non consentire universos, ut ait Molina loc. cit. Nihilominus 1) facile concedunt et ii, qui aliter sentiunt (cf. testimonium Suarez superius citatum), posse nomine iustitiae originalis significari totalem rectitudinem, in qua primus homo creatus fuit, ut proinde et gratiam sanctificantem complectatur. 2) Distinctio haec iustitiae originalis a gratia videtur orta ab ea opinione, quae negabat Adamum in ipsa creatione auctum fuisse gratia sanctificante; quo factum fuit ut nomen iustitiae aut innocentiae determinaretur ad significandam eam rectitudinem tantum quam Adamus ab initio habuit, cum diceretur iustitia vel innocentia *originalis*. Ea enim rectitudo potest dici innocentia vel iustitia tum negative quatenus caret omni culpa, tum positive, quatenus aptissima est ad servandam innocentiam, ut Suarez declarantem audivimus. Porro ea opinio, quae negat Adamum ab initio insignitum fuisse gratia sanctificante, relinquenda est, ut vidimus. 3) Commune est Theologis cum s. Anselmo De concep. Virgin. c. 3. peccatum originale definire privationem *iustitiae originalis*, quo nomine iustitiae proprie non immunitatem a concupiscentia, ceterisque malis, sed sanctitatem intelligunt (cf. Bellarminum De Amis. grat. et stat. peccati L. V. c. 17.); quam loquendi rationem et ii recipiunt, qui disputantes de statu primi hominis, iustitiam originalem presse sumptam a gratia distinguunt; ut videre est in Suarez De peccato origin. Disp. VIII, Sect. 2. n. 19.; qui cum statuisset peccatum originale per se esse habitalem aversionem a Deo sine supernaturali, fideoque privare iustitia, seu, quod idem est, caritate et gratia, quatenus haec convertunt hominem ad ultimum finem supernaturalem, scilicet Deum, subdit: « ex hac conclusione intelligitur quo sensu dixerit Anselmus originale peccatum esse privationem iustitiae originalis; quem secuti sunt Thomistae, 1. 2. q. LXXXI, Bonaventura, Scotus et alii in 2. Dis. XXX et seq. Alensis 2. p. q. CXXXII; qui sub iustitia originali gratiam sanctificantem comprehendunt. Quocirca intelligendum est primum effectum originalis iustitiae fuisse subdere animam Deo, id est illam

convertere ad supernaturalem finem... Solum ergo privato iustitiae quantum ad primum effectum qui est quasi primarius et essentialis, pertinet ad essentiam peccati originalis. »

Ex his omnibus arbitramur constare satis quod Theologorum communis usus nedom non obstat, sed et favet acceptioni huic termini, iustitiae originalis, qua nimirum intelligatur universa rectitudo in qua conditus est Adamus.

V. Itaque status ille, in quo conditus est primus homo, iure appellatur status iustitiae originalis. Et primo iure dicitur status, quia est conditio humanae naturae per se stabilis et ex se in perpetuum duratura, lege divinae sapientiae firmata. Tum *status iustitiae*, quia est status sanctitatis per gratiam gratum facientem, quae est vera iustitia, atque praeterea status est rectitudinis, quae consistit in habituali subordinatione inferiorum virium ad superiores. Tandem *status iustitiae originalis*; quia hic status iustitiae ab origine naturae habitus est, et semper in natura perseverare debebat, qualis fuit in origine, atque per originem sive generationem singulis individuis naturae communicari.

## ARTICULUS II.

### DE ELEVATIONE ANGELICAE NATURAE AD STATUM SUPERNATURALEM LAPSUQUE ANGELORUM MALORUM

— 183 —

#### Thesis LVIII.

*Quod de humana natura affirmavimus, id de Angelica quoque natura ex divina revelatione tenendum est, eaeque nempae fuisse ad ordinem supernaturalem adoptivae filiationis et destinationis ad aeternam beatitatem.*

1. Quod Angeli evecti sint ad filiationem adoptivam, et idcirco destinati sint ad aeternam beatitatem, testatur primum Scriptura. Nam ex Scriptura novimus Angelos videre intuitive Deum. Math. 18, 10; Tobiae 12, 15, 19; Apocalyp. 1, 4; Daniel 7, 10; Scriptura rursus docet quod homines, apicem perfectionis adepti, futuri sicut sicut Angeli Dei in caelo: Math. 22, 30; quae verba: erant sicut Angeli Dei in caelo, accipienda esse non tantum prout excludunt